



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XLI. Dolorum summa. Dolor patientis virginis, superat omnium  
ærumnas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

# DISCURSUS XLI.

*Maria Mater dolorosissima Regina est:  
Martyrum.*

D' mentem S. Hieronymi serm. de Pass. Dom. Amor Exordium.  
**A** vim habet ac virtutem, animam amantis in amati  
 animam transmutandi, sic de David & Jonatha,  
 qui se mutuo intimè diligebant, dicit Scriptura:  
*Anima Jonatha conglutinata est anima David.* 1. Reg. 18. cap.  
 vehementissimè Filium suum IEsum Maria Mater Dei dile-  
 xit, suavissimo ergo amoris tenerrimi effectu & affectu in  
 IEsum conversa est Maria, & quidquid ille exteriùs passus est  
 in corpore, Maria interiùs sustinuit in mente, clavi illi acu-  
 tissimi, qui manus & pedes transfixè Redemptoris, ani-  
 mam quoque transfixè Genitricis, ictus & verbera, quæ  
 Christus patientissimè pertulit, in Matris dolorosissimæ ani-  
 mam, tristi echo resonabant, ut adimpleretur propheta Si-  
 meonis Lucæ 2. cap. *Tuam ipsis animam doloris gladius per-*  
*transfisit.* si nunc teste S. Anselmo. de Excellent. Virg. cap. 5.  
 & S. Laurentio Justiniano, lib. 3. de Laud. Virg. *in mente,*  
*in corde, in animâ, in parte aliâ insensibili, interius pati &*  
*sentire, majus est martyrium, quam exteriùs in corpore, vel*  
*naturaliter sensibilibus membris pati.* Mariæ martyrium,  
 omnibus pœnis ac Martyrum tormentis majus erit, quæ to-  
 tum, quod IEsus Rex Martyrum in corpore suo exteriùs su-  
 stinuit, omniq[ue] tormento Martyrum dolorosius est, in  
 corde ac animâ, parte aliâ insensibili, interius est perpetua,  
 Maria ergo dolorosissima, transfixa in animâ doloris inten-  
 sissimigladio, Regina est Martyrum. Gravatatem dolorum  
 SS. Patres perpendant. *Alij sancti, et si passi sunt pro Christo ss. Patres,*  
*in carne, tamen in animâ, quia immortalis est, pati non po-*

tuerunt; beata verò Dei Genitrix, quia in eâ parte passa est,

qua impaſſibili habitat, idèo, ut ita fatear, quia spiritualiter  
& atrocius passa est gladio Paſſionis Christi, plus quam Martyr

suit. scribit S. Hieronymus Epift. 10. ad Paulam & Eustoch.

mus.

de Aſſumpt. B. V. Verè pertransvit animam tuam gladius doloris,

qui tibi amarior fuit omnibus doloribus, cuiusq[ue] Paſſio-

nis corporeæ; quidquid enim crudelitas inflictum est corporibus

Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione in pa-

ſionis, quæ nimis suā immensitate transfixit cuncta penetra-

S. Anſelm⁹. liatua, tuq[ue] benignissimè cordis intima. diſcurrit S. Anſelmuſ.

de Excellent. B. Virg. cap. 5. Beata Virgo clarissima inter Vi-

gines, candidior inter Martyres, quia et ſilli Martyrio coronati,

dealbārunt ſtolas suas in ſanguine agni, nihilominus hac beata

& venerabilis Virgo, candidior digne praedicatur, eò quòd, eis

corpora Martyrum pro Domino ſupplicia pertulerunt, nihilomi-

nus hæc admirabilis Virgo in anima passa teste Domino compreba-

tur. perorat S. Ildephonsus. ſerm. 2. de Aſſumpt. B.V. Tuam,

ō beata Mater! pertransvit animam vis doloris, ut plus quam

Martyrem non immerito predicemus, in quâ nimis corpore

S. Bernardo. ſenſum paſſionis, exēſſerit compassionis affectus. inquit S. Ber-

nardus. ſerm. ſuper Sign. Magni. Sciendum itaque, duo eſe

genera martyrii, unum in maniſte, aliud in occulto, unum

patens, aliud latens, unum in carne, aliud in ſpiritu, ex hu-

mentis martyrium, carnis tormenta excedit, hoc itaque pa-

tiendi genere glorioſa triumphans, quanto cunctis vicini,

tantò cunctis glorioſor, venerandaq[ue] cruci dominica paſſionis

inhabit, hauiſt calicem, babit ſanguinem, & torrente doloris

potata, nulli unquam ſimilem potuit perferre dolorem; currit

post IESUM, non tantum in odore unguentorum, ſed in multitu-

dine dolorum, non ſolum in gaudio conſolationum, verū & in

S. Amadæ⁹. abundantiā paſſionum. ait S. Amadæus. Homil. 5. de Laud.B.V.

Ipsa fuit Martyr in anima, & gladius doloris, qui pertransvit

animam ejus in Unigeniti paſſione, pro amariſſimo ei martyrio

computatur, voluit ſiquidem Filius, ut omni Sanctorum paſſio-

nati participaret Mater ſua, imò universam Sanctorum pul-

cri-

christudinem excederet, quia quidquid in Virgine operabatur,  
norum erat, placuit Filio, ut gloriosior Martyr existaret, &  
mirabiliter appareret, ut novo & inaudito genere martyrii de-  
coraretur, & sicut appellatur Virgo Virginum, ita & Martyr  
Martyrum debet appellari. concludit Richardus à S. Lauren- Richardus  
tio. lib. 3. de Laud. B. V. invocatâ Spiritus S. gratiâ Reginæ à S. Laur.  
Martyrum pia contemplatio compassivis Conceptibus devotè  
correspondeat.

## CONCEPTUS I.

Martyres faciunt dolores, sic Christus est Rex Marty- Confirma-  
rum, quia incomparabiles passus est dolores. *Vide te si est dolor,* tio, seu De-  
*sicut dolor meus.* Thren. 1. cap. Quò major est dolor, eò gloriosior  
fit martyr: quantus ergo Mariæ Virginis dolor fuit? Tan-  
tus dolor, quantus amor erat, merire amorem Virginis in  
Filium, si vis de passione & morte Filii, agnoscere Matris do-  
lorem. Mensuram capit S. Antoninus. part. 4. tit. 15. cap.  
20. §. 14. *Omnis dolor ex amore creaturæ est autem triplex*  
*amor, scilicet naturalis, acquisitus, & gratuitus:* Naturalis  
*fuit in summo, quia quanto natura nobilior, tanto habet nobi-*  
*liores actiones & operationes, ipsa autem habuit naturam no-*  
*bilissimam, unde & amorem naturalem summè: item amor ac-*  
*quisitus fuit in eā in summo, nam omnes causæ accidentales, que*  
*inducunt matrem ad diligendum filium, fuerunt in eā in sum-*  
*mo, nunquam enim filius aliquis tantum dilexit matrem, tan-*  
*tum honoravit, tantum pro eā sustinuit, tantum ei dedit, sicut*  
*Christus pro Matre, & sic de aliis causis accidentalibus amoris ac-*  
*quisiti, ergo in eā amor fuit in summo: item amor gratuitus,*  
*nunquam enim aliquis, habuit tantam charitatem ad filium,*  
*sicut ipsa ad JEsum, ergo & hic in summo; si ergo habites habitus*  
*amoris, scilicet naturalis, acquisiti, & gratuiti, elicant u-*  
*nus actum amoris, erit ille in summo, illa ergo erit dilectio in-*  
*tensissima, & dolor ex amore hujusmodi erit intensissimus, sicut*  
*enim summè diligit vitam in dilecto, ita & summè dolet de morte*  
*dilec-*

dilecti, summum ergo dolorem, habuit in passione Christi. Conformat S. Bernardinus Senensis serm. de Nom. Mariae 2. art. 1. cap. 3. Secundum intentionem amoris, intentio est doloris, proinde Joan. 11. cap. Judai comprehendenterunt erga Lazarum, amorem Christi ex dolore & fletu, unde & dixerunt de illo: Ecce quomodo amabat eum: sed Christus à Matre sua summè fuit dilectus, igitur subtractio sua, summa fuit ei amaritudo. Accedit authoritas S. Hieronymi. Epist. 10. ad Paulam & Eustoch. de Assumpt. B. V. Plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum, ut animam ejus totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiae dilectionis, nimurum & ejus dilectio, amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit, qua quia mente passa est, plus quam Martyr fuit. Amorosissima & dolorosissima Virgo, Regina Martyrum.

## CONCEPTUS II.

Quæcunque persona pretiosissimam martyrii aureolam  
adæpta est, jure meritissimo Regina Martyrum dici debet,  
beatam Virginem in persecutione Filii patientis, & in cruce  
morentis, pretiosissimam martyrii aureolam, consecutam  
fuisse dicunt Doctores, Maria ergo jure meritissimo Regina  
Martyrum dici debet; quâ ratione, vel quonam merito,  
pretiosiorem aliis Martyribus sanctis aureolam sortita est  
Maria? Condignitatem perpendit, & ponderat S. Antoninus  
part. 4. tit. 15. cap. 24. §. 1. Dationi anima debetur aureola  
martyrii, ergo dationi pretiosissima anima & dilectissima, de-  
betur pretiosissima aureola martyrii, sed pretiosissima Virgo Ma-  
ria dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam, ergo habet  
bit pretiosissimam aureolam; medium probatur, dedit enim  
dilectissimam animam, id est, vitam Filii, ipsa enim in in-  
finitum plus dilexit animam, id est vitam Filii, quam beatus  
Petrus animam, id est vitam sui ipsius; quod dedit prei-  
or.

séssimam, patet, quia datus hujus animæ, id est, vita Filij  
fuit pretium totius mundi, & redimibilis creatura, & sic de-  
dis animam in infinitum plus dilectionem, ergo & habet prelio-  
sissimam aureolam martyrii. adeoque Imperatrix, & Regina  
Martyrum.

### CONCEPTUS III.

Reginam Martyrum dicimus, quæ plus reliquis Mar-  
tyribus sustinuit, diutius illis est passa; quis tantos dolores,  
tanta tormenta sustinuit, quam dolorosissima Mater? Quis  
Martyrum tanto passus est tempore, quam passa est Maria?  
multitudinem passionis ejus enarrat Richardus à S. Victore.  
cap. 26. in Cantica. Martyrio decorata fuit, ipsius enim ani-  
mam pertransivit gladius, non materialis, sed doloris, quo mar-  
tyrio gravium passa fuit, quam ferro: in Martyribus magni-  
tudo amoris dolorem lenivit passionis, sed beata Virgo, quan-  
tò plus amavit, tantò plus doluit, tantoque ipsius martyrium  
gravius fuit. Durationem passionis Mariæ representat Ru-  
pertus Abbas, lib. 1. Cant. Nolite solam attendere horam,  
vel diem illam, in qua vidit talem dilectum, ab impiis com-  
prehensum, male tractari, scilicet illudi, spinis coronari, fla-  
gellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, &  
sepeliri; nam tunc quidem gladius animam ejus pertransivit,  
sed antequam pertransiret, longum per eam transitum fecit.  
Prophetissa namque erat, & ex quo mater ejus facta est, sci-  
vit, cum ista passurum, cum igitur carne suâ taliter progeni-  
tum, talem Filium suu suo foveret, ulnis gestare, uberibus  
lactaret, & talem ejus futuram mortem, semper prœ oculis  
haberet, & propheticâ mente prævideret, qualem, quam-  
tam, quam prolixam putatis materni doloris pertulisse passio-  
nem? Integerrimos triginta tres ætatis Filii sui annos, in  
passione continuâ, transegit Mater dolorosissima, Regina  
Martyrum, plus reliquis Martyribus passa, diutius cæteris in  
passione persistens.

pp

CON-

## CONCEPTUS IV.

*A mari nomen Mariae derivat S. Bernardinus Senensis serm. 3. de Assumpt. B. V. ut idem sonet Maria, quam mare amarum; cur hoc? quia sicut in mari nec unica est gutta, quæ non sit amara, sic in Maria nihil erat, quod de passione & doloribus Filii non esset amarum, cuiusamaritudinem supra omnia Martyrum tormenta humanus explicare non sufficit intellectus. Interpretatur amarum mare Maria, in quo tot fluctus & flumina amarissima intraverunt, propterea ad eam meritò dici potest illud Thren. cap. 2. Magna est velut mare contritio tua. Addit B. Albertus Magnus, serm. 3. de Assumpt. B. V. Omnem enim myrrham, id est, omnes amaritudines passionis, quas Filius Dei bibit, bibit & ipsa, & quodammodo plus ipsa: lancea quippe, qua perfosvit latus Salvatoris, dolorem non dedit Filio, sed Matri; quid etiam post mortem seductor appellatus, dolorem Filii non aggravavit, sed Genitricis ipsius. Unde S. Bernardus, de Lamentat. B. V. Nunc solvis Virgo cum usurâ, quod in partu non habuisti à naturâ; dolorem, pariendo filium, non suffisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti; juxta crucem stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu sancti concepit; vox illi non erat, quia dolore attrita jacens palbat; quasi mortua vivens, vivebat moriens, mortiebatur vivens, nec mori poterat, quia vivens mortua erat, in illius animâ dolor sevè saviebat; non credo, plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum dolere potuit de tali Filio talu Mater. Martyrum Regina.*

Epilogus.

O si verus in nobis JESU & Mariæ amor esset, certe illis saepius compati studeremus, paterno igitur consilio S. Petri Damiani serm. 2. de Nat. B. V. humiliter acquiescamus. Studeamus & nos, dilectissimi, saculi hujus blandimenta despicer, crucem Christi assidue in mente portare, quattuor

nus dum nunc anima nostra, gladio Maria transfigitur, cum  
ipsa postmodum de eterna felicitatis dulcedine latetur. A-  
men.

Spectaculo tristi stat Virgo sub cruce Christi,  
Inde maternus amor, cor ferit, atque  
dolor,  
Respice sapè crucem, fEsum tibi sumito du-  
cem,  
Sic Matris ē nati, disces amore pati.



pp 2

DI